



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 81. Amurates Europam ingressus, Christianis occurit

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

## §. LXXXI.

Sæcul. XV.  
A. C. 1444.

*Amurates Europam ingressus,  
Christianis occurrit.*

*Crucii Turco* *Amurates* inducias a Christianis ruptas  
*græc. lib. I.* comperiens, haud minore studio ingentem exercitum instruere cœpit, & primas eo curas intendit, ut superato Hellesponto in Europam penetraret, Christianorum copias aggressurus. Et vero res ipsi ex animi sententia successit. Quippe allatæ fuere a Cardinale Veneto classis Præfecto literæ, nuntiantes Ladislao, Amuratem vel elusis arte, vel auro corruptis militibus, qui arctissimas Hellesponti fauces infra Gallipolim observabant, ingenti multitudine cunctas copias suas reduxisse in Europam, necnon coniunctisse cum aliis, quæ non procul ab Isthmo in Thraciæ Chersoneso convenabant. De hoc transitu non eadem est

*Bonfin. hist.* Scriptorum sententia. Bonfinius testatur, quod Genuenses, cum Turcæ angustas hasce fauces declinata Christianorum classe, transire penitus desperarent, cunctis militibus liberum aditum vendidissent, pacto unius aurei pro singulis pendendi pretio. Qua ratione Turcarum ex-

*Chalcondyl.* ercitus in Europam penetraverit, non equidem explicat Chalcondyles, nisi quod dicat, cum animo agitarent Turcæ, qua arte

*Hung. de-  
cad. 6.*

arte possent Christianæ classis impetum Sæcul. XV.  
 evitare, dum in angustias Helleponsi A. C. 1444.  
 pervenissent, ab ipsis non amplius clas-  
 sem inventam, quoniam vehementissimo  
 vento de repente exorto pulsa alio fui-  
 set, sique Turcarum copias remoto ul-  
 teriori obice facile trajecisse. Æneas  
 Sylvius in quadam epistola ad Episco- Æn. Sylv.  
epist. 18.  
 pum Papensem scripta narrat, quosdam  
 afferere, Turcarum Imperatorem copias  
 suas Genuensium navibus transvexisse:  
 se tamen hujus facti veritatem fide sua  
 testamat nolle, nec sibi persuaderi posse,  
 Genuenses tanta tamque indigna avari-  
 tia correptos, ut Christianorum sanguinem  
 pecunia vendere præsumerent, nisi,  
 subjungit idem Scriptor, eos diabolus,  
 sicut Judam Iscariotem sibi subjecerit.

### §. LXXXII.

*Amurates Christianorum copiis Varnæ  
 obviam progressus.*

Sed utut hæc sint, id certum est, Amu- Nauder. ge-  
 ratem, sic penetratis Helleponsi fau- ner. 49.  
 cibus, magnis itineribus obviam Chri- p. 465.  
 stianis processisse, eisque apud Varnam  
 Mæsiæ inferioris urbem ad Pontum Eu-  
 xinum occurrisse, hostemque ad pugnam  
 provocasse. Ladislaus Rex, quamvis in  
 sinistro crure vomica laboraret, nihilomi-  
 nus ingenti pugnandi auditate flagrabat,  
 nec